momenti, reque vera futilis est: quum non agriculturæ diligentia, sed solis virtus, quando frugum largitori visum sit, fructuum abundantiam suppeditet:) Quoniam, inquam, istiusmodi lex in lucem prodiit, quæ Domini cultum vilipendat, diversumque ab illis, qui contra omnes adversarios a Spiritu sancto victoriam obtinuerunt, decretum præscribat: statuimus nos etiam quod Spiritui Sancto, ab ipsoque institutis Apostolis placuit, ut omnes in die sacro, quoque nostra integritas instaurata est, a labore vacent: neque agricolæ, neque quiquam alii in illo illicitum opus aggrediantur. Si enim, qui umbram quandam atque figuram observabant, tantopere Sabbathi [1] diem venerabantur, ut ab omni [2] prorsus opere abstinerent: quomodo qui gratiæ lucem, ipsamque veritatem colunt, hos eum diem qui a Domino honore ditatus est, nosque ab exitii dedecore liberavit, non venerari par est? aut quomodo, cum ex septem [3] diebus unus in Domini honorem consecratus sit, nos aliorum ad opera usu contentos non esse, neque illum Domino eximium & inviolatum conservare: sed ipsum etiam vulgarem facere, nostrisque operibus applicandum putare, religionis non est prorsus dissolutæ?

CONSTIT. LV.

* UT JUDÆI SECUNDUM CHRISTIANISMI RITUS VIVANT [4].

Idem Imperator eidem Styliano.

Qui olim sceptris potiti sunt, de Hebræorum gente (quæ quondam quosdam divino patrocinio foveretur, inclyta fuit, nunc autem ob contumaciam in *Christum* & Deum nostrum, in calamitatibus celebris est) diversas [5] promulgarunt leges, quæ de ipsorum vitæ statu tractantes, jubent, ut [6] sacras ipsi scripturas legant, & ne a suis ritibus arceantur: quinetiam ut liberos supra sanguinis cognationem circumcidendos etiam cognatione suo instituto accommodent. Atque hæc quidem, qui olim (ut dixi) imperium obtinuerunt. Verum sacratissimus Princeps, ille ex cujus semine nos nati sumus, ut qui majore quam cæteri salutis ipsorum desiderio teneretur, hos in sola superiorum legum observatione relinquere (quod ante illum alii fecerant) non contentus: sed partim sacrorum oraculorum explicatione, partim eorundem admonitionibus ad salutarem Christianorum cultum traducens, vivifica baptismi aqua initiavit. Atque quod ipsos in novum secundum *Christum* hominem transformari debere perfuasit ut veterem deponerent, plene effecit, & quæcunque vetustatem saperent, circumcisionem [7], sabbathum [8], & si quid aliud est, cum illo simul exuit. Atqui cum tanto cum effectu a Judaica pertinacia ipsos deduxisset, non etiam prioribus legibus, quæ Judaico ritu vivere permittebant, silentium, & vacationem alterius legis decreto imposuit. Quod igitur pater noster prætermisit, id nos adimplendum putantes, omni antiquiori, quæ de Hebræis statuit, legi silentium injungimus: *& ne illi aliter* quam pura salutarisque Christianorum fides vult, vivere audeant, jubemus. Quod si quis a Christianorum ritibus defectione facta ad Judæorum mores & placita reverti deprehendatur, hic secundum leges de apostatis [9] latas pœnas luat.

CONSTIT. LVI.

DE ORIS [10] MARITIMIS.

Idem Imperator eidem Styliano.

Hæc etiam lex quæ maritimorum prædiorum jus tollit, eorum unde apud [11] oras mare conspicitur: quæque insuper illorum dominum, si illic piscari volentes prohibeat, injuriarum actioni subjicit: nobis non æqua statuere visa est. Quicquid enim non iniquo titulo in cujuspiam dominium devenit, sive parentum hereditas laborumque emolumentum, sive alio quocunque non illegitimo modo paratum sit: quæ causa est, quamobrem id non ab eo qui in dominio habet, administretur, & illi non longe potius quam alteri cuipiam utilitatem præbeat? Non est igitur legis, quæ quidem æquitatem spectet, ut alios ad utilitatem rei, in quam nihil juris habent, introducat: illos vero qui aut solutum pretium, aut cognationis jus, aut denique alium aliquem possidendæ rei non illegitimum titulum laudant, illa privet. Jam vero quod, quum ab illo tanquam loci illius domino, annuum tributum exigatur, expellere inde illum, qui præter ipsius voluntatem loci commodis uti velit, non possit: sed si hoc faciat, injuriarum actionibus tententur: quomodo id præterquam quod iniquum est, non omnibus modis absurdum est etiam? Quid si prædii dominus piscatoriæ artis non ignarus sit, num ipsi otioso dormiendum erit, aliisque orarum [12] emolumenta venari permittere debebit? aut, si otium non amplectetur, in aliorum oris errabundus piscabitur, in suis autem id ipsi non licebit? At quare ita fieri debeat, nullam equidem rationem video. Sancimus itaque, *ut quisque oras* suas inconcusso jure possideat, illorumque dominus sit: & si qui sine ipsius permissu illorum emolumento frui velint, hos propellere possit. Nam quemadmodum terrenis locis juris est, ut quicunque domus dominus sit, is præter illius usum, vestibulum [13] quoque atrium possideat: ut ita etiam in maritimis obtineat, rationi esse consentaneum putamus. Et sicut terrenis locis præter voluntatem domini ex alieno fructus percipere nemini conceditur: sed si quis fructus ex alieno colligit, eos vel benignitate domini percipiat, vel pro loci [14] usu vectigal solvat necesse est: sic etiam in maritimis observari præcipimus.

CONSTIT. LVII.

* QUANTUM IN PISCATIBUS REMORÆ [15] PISCATORIÆ INTER SE DISTARE DEBEANT.

Idem Imperator eidem Styliano.

Quandoquidem quum plurimæ leges de piscatione statuant, illud quod ἐναγχος [16] nominandum putarunt, adhuc lege definitum non est (quippe, quod, ut videtur, quo tempore leges illæ promulgabantur, nondum id institutum innotuisset) hoc quoque legis constitutionem auferre volumus. Quam itaque juris rationem in hoc piscationis instituto pro legitimo decreto obtinere consuetudini visum est (ut nempe interstitiorum modus ad trecentos sexaginta quinque passus protendatur) hoc nos quod extra convenientem modum non feratur, legis dignitate honorantes, debinc legem esse sancimus. Nam tametsi citra hoc privilegium, ut remoræ piscatoriæ ad hanc rationem disponantur, præsentis ævi hominibus bonum videatur: quo tamen id firmius sit, cautiusque in æternum observetur, lex esto, *remoræque illæ trecentorum* sexaginta quinque passuum intervallo a consuetudine approbato inter se distanto: idque ita, ut ab utraque parte hic intervalli modus desumatur: ut videlicet centum octoginta duo, & semis [17] ab unius partis finibus exporrigantur, reliquum vero ad vicinum usque pertingat. Atque hæc quidem de constituendis introducendisque post hanc legem remoratoriis dicimus. Quæ vero hoc decretum prævenerunt, tametsi præstituto hoc intervallo non dittent, ex ejus præscripto tamen nihil novabitur: permanebuntque illa, ut initio constituta sunt.

CONSTIT. LVIII.

* NE [18] EX SANGUINE CIBUS CONFICIATUR.

Idem Imperator eidem Styliano.

Simul olim legislatori Mosi [19] sanguine vescendum non esse mandavit Deus, simul ab istiusmodi cibo abstineri debere a præconibus gratiæ [20] est constitutum. Et quamquam tum veteris tum novæ gratiæ tempore illa res vilis habita sit, & nefaria: eo tamen contumaciæ, imo vecordiæ homines processere, ut neutri legi aurem præstent morigeram. At contra alii lucri, alii gulæ causa summa cum impudentia mandatum contemnunt, in escamque qua vesci vetitum est, sanguinem convertunt. Perlatum enim ad aures nostras est, quod intestinis tanquam tunicis illum infarctum, velut confuetum aliquem cibum ventri præbeant. Quod tolerari non debere Imperatoria nostra majestas rata, neque tam impio soli gulæ inhiantium hominum invento, nunc præcepta divina, nunc reipublicæ nostræ honestatem dedecore affici sustinens, jubet, *ne quis id* scelus, neque ad suum usum, neque ut emptores detestando cibo contaminentur, ullo modo exercere audeat. At sciat, quicunque dehinc divinum mandatum contemnere, sanguinemque in cibum convertere (sive vendat, sive emat) deprehensus fuerit, se bonorum publicationi subjiciendum, & ubi acerbum in modum flagris cæsus, ac cute tenus fœde tonsus erit [21], perpetuo patriæ exilio multandum esse. Quo quidem in judicio, neque civitatum magistratus citra criminationem dimittendos censemus: sed ut & ipsi (neque enim, si illi convenienti alacritate magistratum gessissent, id scelus commissum fuisset) quod negligenter socorditerque subditis præfuerint, decem librarum auri multam sustineant.

CONSTIT. LIX.

* ABROGATIO LEGIS [22] QUÆ HOMINEM LIBERUM SE VENDERE PERMITTIT.

Idem Imperator eidem Styliano.

Quæ lex hominem liberum, qui tam ignavi atque abjecti animi est, ut libertatis dignitatem dedecore afficiens, quo execrabile pro servitute perfolvendi pretii lucrum participet [1], suam servitutem mercetur, non castigat, neque scelus illud corrigit: profecto & illa earum una est quæ rectum reipublicæ nostræ statum dedecent, ac approbatione indignæ sunt, neque auctoritatem & efficaciam accipere debent. *Illam* itaque de eo qui res suas ita gubernat, *latam* legem, quæ dementiam firmam esse permittit, neque eversa indigna illa mercatura, hos qui per insipientiam talia faciunt, competentibus pœnis subjicit, neque legis propositum scimus servare, neque quæ convenienti legibus reverentia potiatur, dignam putamus. Si enim quod [2] pater filiis est, id idem leges civibus esse oportet, ut in hoc unum quod illis conducat ac salutare sit, collimet: quomodo hanc legem quæ tantum incommodum atque damnum incumbere iis qui per dementiam in id se conjecerunt, finit, legibus annumerari æquum est? Hanc itaque nos legibus excerptam in exilium mittentes, sancimus, *ut si quis* ita demens sit, ut libertatem servitute commutans seipsum vendat, ne is contractus validus sit, sed evertatur, & simul ipse libertatis suæ proditor, simul is qui cum ipso id facinus designavit, verberibus castigentur, nihiloque minus vesaniæ mancipio libertas in pristino suo statu servetur.

CONSTIT. LX. [3].

* QUA POENA [4] CASTRATORES [5] AFFICI DEBEANT.

Idem Imperator eidem Styliano.

Virtutis [6] ad procreandum a Deo naturæ inditæ exactio non minore cum audacia identidem committitur, quam si apud Deum nulli pœnæ obnoxia esset, cum tamen vel maxime sit: & quamquam veteribus legislatoribus curæ fuerit, ut id malum ultrice lege excideretur, quo respublica ab istiusmodi invento munda esset: haud scio tamen, quum si cui alii, huic certe præscripto obtemperari, atque a naturæ mutilatione abstineri æquum sit, quamobrem non ita faciant homines: sed tanquam utilitatem quandam, istiusmodi adversus generandi vim insidias reputantes, membra quæ homini nascendi causam suppeditant, lancinent, & creaturam aliquam quam qualis conditoris sapientiæ placuerit, in mundum introducere contendant. Hoc igitur cum inultum relinquendum non putemus, lege in id pœnam constituentes, quibus adeo divinam creaturam deformare religio non est, eorum audaciam, auxiliante Deo, reprimere conemur. Ac superiorum quidem legislatorum decretum eos qui id auderent ad [7] eandem mutilationem quam aliis intulerint adigit, quodque ipsi in aliis videre desiderarint, id ut itidem in se videant, conficit: idque me judice, non ita præter æquitatem: quanquam non valde decore. Non enim quia ille creaturam Dei *quasi* refingere ausus est, continuo vindicem id imitari, & pariter [8] refingere, æquum est. Verumtamen, quantum id invenium attinet, non valde (quemadmodum dixi) id alienum est. Ad hoc autem alio etiam modo, qui impium hoc factum auderent, puniebat. Bona namque publicabat, perpetuoque ipsos exilio adjudicabat: & qui injuriam sustinuisset, si servus esset, libertate honorabat [9]. Atque superiorum quidem decretum istiusmodi erat. Nos vero de re illa sententiam pronunciantes, naturæ insidiatores simili mutilatione vicissim mutilari prohibemus: aliis autem isti crimini constitutis pœnis, (tametsi hic etiam ad clementiorem sententiam respiciamus) subjacere ipsos non displicet. Sancimus itaque, *ut qui detestandæ* hujus artis artificem ad castrandum advocarit [10], si in albo [11] Imperatorii famulatus sit, primum albo eximatur: ac deinde decem auri libris in fiscum deferendis multatus in decennium relegetur. Malæ vero istius artis artifex [12], & ipse primum flagris cæsus, tenus sonsione deformetur, & deinde bonis privatus, eodem temporis spatio patria exulet [13]: qui autem injuriam sustinuit, si servilis conditionis sit, reliquo vitæ suæ curriculo ab illa liber erit: sin liberæ, tanquam ipse, quod injuriam admisit, ejus sibi autor sit, quod passus est, suo consensui acceptum feret [14]. Cæterum si qui exectionem sustinuit, ea illi (ut sæpe fit) remedium [15] attulerit, nihil neque nobis neque legi adverfari videtur. Id enim naturam non mutilare, sed illi succurrere est.

CONSTIT. LXI.

* TRIBUTORUM EXACTORES, SI PLUS QUAM DEBEANT EXEGERINT, QUA POENA [16] AFFICIENDI SINT.

Idem Imperator eidem Styliano.

Si rectam æquitatis semitam mortales ingredi vellent, sane quam magna hinc communi vitæ tum beatitudo, tum salus accederet. Non enim austeritatem præ se ferre legislatoribus opus esset, neque ultrices leges in periculorum difficultates aliquos conjicerent. Nunc vero quamquam & commoda & salutaris æquitatis via sit, plerique tamen illam ingredi nolunt: sed tanquam laboriosa [17] atque aspera fit, miseriasque viatoribus adferat, declinant. Sunt enim, sunt, *nonnulli*, quibus pessima [18] *quæque* placent: quique ab æquitatis itinere deflectentes, ad iniquitatis viam densis spiritus stratam (qua viatores in perditionis præcipitia aguntur) alacri avidoque animo se conferunt. Quorum etiam temerarium impetum veteres castigandum esse putantes, illum lege, tanquam freno, inhibere instituerunt. Sed quomodo illi iniquitatem profligare, atque e diverso æquitatem constituere studuerint. * * * Et quis (quæso) quæ nostra majestas suscipit, non approbet? Quod vero in nonnullis non pro delicti merito pœnam statuere, istiusmodi decretum amplecti recusamus. Quando etenim pro commissi ratione reis judicium obvenit, æquum revera decretum est: quæque illis irrogatur pœna justa. At quando delictum gravius [19] quam oporteat punitur, non id justitiæ sed potius injustitiæ esse censendum est. Quocirca sane, cum superiores legem [20] promulgarint, quæ illis qui colligendis publicis tributis præfecti sunt (*numerariis* [21] promiscuum vulgus appellare consuevit) si supra legitimum modum tributa extendere audeant, graviffimam pœnam infligit (morte enim id delictum perfequitur) & vero non omnino merito tantæ pœnæ illos subjici, nos existimemus, admissionem illi denegamus: contraque statuimus, *ut si quis* in id crimen incidisse deprehendatur, semelque tantum id ausus sit, quod amplius exegerit, ejus duplum dependat: sin id facere pergat, in quadruplum, quod amplius captum est, ad injuria affectum redeat, illeque cum ignominia a concredito sibi officio decedat. Ac sit sane polithac delicti hujus hæc pœna, neque pecuniariæ fraudis reus de vita periclitetur.

CONSTIT. LXII.

* DE POENA [22] EJUS QUI REM ALIENAM PUBLICAM VENDIDERIT.

Idem Imperator eidem Styliano.

Publicarum injuriarum reos castigari, & hujusmodi pœnis quæ in illas pronos ad tempérantiam adigentes, quam maxime injurias suscindant, subjici justum est. At non idcireo amplius quam par est puniri, neque jus ut fines suos excedat, specieque justæ vindictæ cum injustitia velut conspiret, cogi convenit. Si enim pro delicti modo qui deliquit, puniatur, justa ea juris ultio sit: at si quam pro eo pœna major infligatur, juris propositum servari non existimo. Ea propter nostra majestas, posteaquam in iis quæ a superioribus [23] constituta [24] sunt, ubi eos qui publicæ rei aliquid divendere ausi sunt pœnis subjiciant, non justam sententiam profiteri didicit: ut ejus criminis persecutio non amplius hanc vim habeat, decernit. Quomodo enim justum est, ut cuiquam, quia quiddam quod detrimentum fisco adferat, vendidit, incurabile damnum vitæ nempe privatio obveniat? Nequaquam itaque delictum illud morte puniri dignum est, neque nos hoc judicio deprehensos feriri finimus. *Quicunque autem* publicam rem divendere deprehensus fuerit, ubi quadruplum reddiderit, satis pœnarum sustinuisse putator.

CONSTIT. LXIII.

* DE POENA ILLORUM QUI RES VETITAS AD HOSTES TRANSVEHUNT [25].

Idem Imperator eidem Styliano.

Quæ lex hominem liberum, qui tam ignavi atque abjecti animi est, ut libertatis dignitatem dedecore afficiens, quo execrabile pro servitute persolvendi pretii lucrum participet [1], suam servitutem mercetur, non castigat, neque scelus illud corrigit: profecto & illa earum una est quæ rectum reipublicæ nostræ statum dedecent, ac approbatione indignæ sunt, neque auctoritatem & efficaciam accipere debent. *Illam* itaque de eo qui res suas ita gubernat, *latam* legem, quæ dementiam firmam esse permittit, neque eversa indigna illa mercatura, hos qui per insipientiam talia faciunt, competentibus pœnis subjicit, neque legis propositum scimus servare, neque quæ convenienti legibus reverentia potiatur, dignam putamus. Si enim quod [2] pater filiis est, id idem leges civibus esse oportet, ut in hoc unum quod illis conducat ac salutare sit, collimet: quomodo hanc legem quæ tantum incommodum atque damnum incumbere iis qui per dementiam in id se conjecerunt, finit, legibus annumerari æquum est? Hanc itaque nos legibus excerptam in exilium mittentes, sancimus, *ut si quis* ita demens sit, ut libertatem servitute commutans seipsum vendat, ne is contractus validus sit, sed evertatur, & simul ipse libertatis suæ proditor, simul is qui cum ipso id facinus designavit, verberibus castigentur, nihiloque minus vesaniæ mancipio libertas in pristino suo statu servetur.

CONSTIT. LX. [3].

* QUA POENA [4] CASTRATORES [5] AFFICI DEBEANT.

Idem Imperator eidem Styliano.

Virtutis [6] ad procreandum a Deo naturæ inditæ exactio non minore cum audacia identidem committitur, quam si apud Deum nulli pœnæ obnoxia esset, cum tamen vel maxime sit: & quamquam veteribus legislatoribus curæ fuerit, ut id malum ultrice lege excideretur, quo respublica ab istiusmodi invento munda esset: haud scio tamen, quum si cui alii, huic certe præscripto obtemperari, atque a naturæ mutilatione abstineri æquum sit, quamobrem non ita faciant homines: sed tanquam utilitatem quandam, istiusmodi adversus generandi vim insidias reputantes, membra quæ homini nascendi causam suppeditant, lancinent, & creaturam aliquam quam qualis conditoris sapientiæ placuerit, in mundum introducere contendant. Hoc igitur cum inultum relinquendum non putemus, lege in id pœnam constituentes, quibus adeo divinam creaturam deformare religio non est, eorum audaciam, auxiliante Deo, reprimere conemur. Ac superiorum quidem legislatorum decretum eos qui id auderent ad [7] eandem mutilationem quam aliis intulerint adigit, quodque ipsi in aliis videre desiderarint, id ut itidem in se videant, conficit: idque me judice, non ita præter æquitatem: quanquam non valde decore. Non enim quia ille creaturam Dei *quasi* refingere ausus est, continuo vindicem id imitari, & pariter [8] refingere, æquum est. Verumtamen, quantum id invenium attinet, non valde (quemadmodum dixi) id alienum est. Ad hoc autem alio etiam modo, qui impium hoc factum auderent, puniebat. Bona namque publicabat, perpetuoque ipsos exilio adjudicabat: & qui injuriam sustinuisset, si servus esset, libertate honorabat [9]. Atque superiorum quidem decretum istiusmodi erat. Nos vero de re illa sententiam pronunciantes, naturæ insidiatores simili mutilatione vicissim mutilari prohibemus: aliis autem isti crimini constitutis pœnis, (tametsi hic etiam ad clementiorem sententiam respiciamus) subjacere ipsos non displicet. Sancimus itaque, *ut qui detestandæ* hujus artis artificem ad castrandum advocarit [10], si in albo [11] Imperatorii famulatus sit, primum albo eximatur: ac deinde decem auri libris in fiscum deferendis multatus in decennium relegetur. Malæ vero istius artis artifex [12], & ipse primum flagris cæsus, tenus sonsione deformetur, & deinde bonis privatus, eodem temporis spatio patria exulet [13]: qui autem injuriam sustinuit, si servilis conditionis sit, reliquo vitæ suæ curriculo ab illa liber erit: sin liberæ, tanquam ipse, quod injuriam admisit, ejus sibi autor sit, quod passus est, suo consensui acceptum feret [14]. Cæterum si qui exectionem sustinuit, ea illi (ut sæpe fit) remedium [15] attulerit, nihil neque nobis neque legi adverfari videtur. Id enim naturam non mutilare, sed illi succurrere est.

1 Συμμισθώσασθαι. *Scring.* ad pretium participandum: *l.* 5. §. 1. *ff. de statu. l.* 6. §. 5. *ff. de injuste.* §. 4. *Inst. de jur. person.* ἐπὶ τῷ μισθώσασθαι τὸ τέρμιον. Theoph. *ibi.* Quæri hic potest, quemadmodum ea venditio (nam in pigneratione minus est dubii *l.* 23. §. 1. *ff. de liberali causa*: & ministerio *l.* 16. *C. de liberali.*) aut cujus tandem pretium venditionis ilitis acceptum fieret? an venditoris? non video, cum fiarim ab ipsa venditione venditor servus efficiatur, nihilque ab eo momento fium vel proprium habeat. An emptoris? ne id quidem: nam qui manu pretium numeraret, eadem statim recuperet, nullaque momento in venditoris persona constaret. *l.* 79. *ff. de acq. vel amitt. hered.* An extranei? Non video quoque quemquam tam facilem in alium fuisse, ut se alterius locupletandi vel juvandi causa vendere velit. Itaque puto liberos & ingenuos homines ea redactos nonunquam fuisse, quod herum a quo alerentur, interdum nanciscendi eis expediret magis quam in perpetua mendicitate vivere. Ac ne interea temere fe in fervitutem dedisse videremur: utque aliquem speciem hominis nuncupasse semper pro se ferrent, ab emptore (Theophilus paulo aliter rem explicat *Inst. de jure personar.* §. *si ex dotale*, eo sensu: Ego cum alluque egi, ut me venderet viginti nummis, & sibi pro lucro quinque haberet, quindecim mihi redderet partem sui ipsius pretii, ejusque liberam perpetuamque administrationem stipulabantur. *arg. l.* 5. *ff. si ingenuus*: quod postliminio, velut iniquum, mutatum est a Leone hac Novella; non immerito: cum talem sui ipsius venditionem natura quodammodo respuat: & parum admodum interest, mortem quis sibi naturalem vel civilem consciscat, cum nemo sit membrorum suorum dominus *l.* 13. *ff. ad legem Aquil.* quod hominis liberi nulla sit æstimatio *l. ult. ff. de leg. qui defunct.* quod inquam sit minori vigenti quinque annis in integrum restitutionem ad res suas alienatas revocandas concedi, nec tamen ad libertatem amissam seu venditam revocandam dari. 2 Lex id est civibus, quod pater liberis: ideo dicitur lex πάσαις ἁπάσης κοινὸς. *l.* 2. *ff. de legibus.*

3 Hujus Novellæ meminit Balsamon ad c. 21. 22. 23. *Apost.* 4 Castratores olim ad eandem pœnam adigebantur. *J. eod. & Novell.* 142. c. 1. quod hac constitutione abrogatur. 5 De castratoribus, adde *l.* 22. §. 28. *ff. ad l. Aquil. l.* 3. §. 4. *l.* 4. §. 2. *l.* 6. *ff. ad l. Corn. de sicariis*: Paul. *sent.* 23. 8. 7. 6 Δυνάμενος πρὸς διαλογὴν τὴν γένεσ δύναμις, natura *l.* 9. *ff. de liber. & posthum.* 7 Id est, ad eandem castrationem. 8 Talionis est pœna, ut tale quis patiatur, quod fecit. de Talionis pœna dixi multis locis, quibus adjunge *Novr.* 93. *J. l. ult. tit. ne fiant. baptism. l. ult. C. de accusat. l. ult. C. de calumniatorib. l.* 7. *C. ad l. Jul. de vi publica. l. ult. C. de his qui latrones. Novr.* 123. *c.* 11. *Exod.* 21. *Levr.* 24. *Deuter.* 19. *Matth.* 5. *Apocal.* 13. *c. quod debetur* 14. *q.* 1. *c. sor differentia* 23. *q.* 3. *l.* 3. *de constantia. & unitate. tribus l.* 6. *C. Wisigoth. lib.* 4. Quinti. *decl.* 338. 273. Hidor. 5. *Etymol.* 27. Diodor. 11. Aristoteles tamen 5. *Ethic.* ut & apud Gellium 20. *c.* 1. τὸ ἀντιπεπονθὸς reprobat. Nec est etiam hodie in usu, vid. Petr. Greg. 41. *Syntagm.* 20. 9 *d. Novr.* 142. Quis publicandarit, id est, publici fiebant *l.* 1. *C. de Iconoclast.* 10 Pœnam obtervantis castrari vel autoritatem castrationi hominis præbentis. 11 Τῶ καταλόγῳ τῶν βασιλικῶν ἀνδρώνων. *Scring.*

12 De pœna ejus qui aliquem castravit. 13 Lege Ripuariorum si ingenuus ingenuum vitraverit, 200. solidis emitabatur *tit.* 6. §. 1. *legis Ripuariorum.* 14 Pœnis tamen ecclesiasticis subjicitur. nam si seipsum mutilavit, ne fieret clericus ut sui homicida Deoque opibei hostis judicatur *c.* 22. *apost.* si jam clericus, deponitur. *c.* 23. Quid si laicus? tribus annis segregatur: *c.* 24. *apost.* non idem est in eo, qui vi hostium vel a tyranno persecutionis tempore castratus est, aut qui natus est Eunuchus *c.* 21. *apost.* 15 *c.* 1. *Nicæna synod.*

16 Tributorum exactores injusti olim capitali supplicio afficiebantur, *l. un. C. de super exactorib. lib.* X. Hæc autem Novella pecuniaria dupli vel quadrupli multa plectuntur. & ita abrogatur *d. lex un.* 17 Virg. Nam via virtutis dextrum petit ardua callem, Difficilemque aditum primum spectantibus offert. Heliodus *vers.* 288. 289. loquens de virtutis via: πάσης ἁπάσης κοινὸς. ἀλλ καὶ ἐξ ὧν αὐτὴ καὶ τοῖς τῆς ἀρετῆς.

18 Hinc illud Medex: video meliora proboque, Deteriora sequor. 19 *l.* 12. *ff. de pan. Novell. Justin.* 82. *cap.* 10. 20 *l. un. C. de super exactoribus lib.* 10. *tit.* 20. 21 Διοικηταὶ colligendis tributis præfecti.

22 Pœna ejus: qui rempublicam vendidit, quadrupli: ut hic, olim morte afficitus, & ita abrogatur *l.* 3. *l.* 4. *C. que res ven. non pos.* 23 Arcadio, Honorio & Theod. 24 *d. l.* 3. *d. l.* 4.

25 Pœna res vetitas ad hostes transvehentis olim capitalis fuit, *l.* 4. *ff. ad Jul. majest. l.* 1. 2. *C. que res export.* alia pœna hic constitutur.

QUin & hoc crimen, cum ex eodem fonte manet, eidemque pœnæ a superioribus subjectum sit, insanabili nos castigationi (quippe quæ mortis pœnam contineat) eximentes, mitiore, quemadmodum & prædicta, dignamur pœna. A veteribus [1] enim statutum est, ne ad hostes transportentur, quibus illi instrui firmioresque reddi possint, ac sanctionis decretum contemptores de medio tollebat. Nos vero isti quoque crimini mitiorem pœnam (licet acerbam requirat) assignantes, talia constituimus: ut si navis dominus sit, qui res vetitas ad hostes transvexit, consiliumque suum cum nautis non communicarit, is solus pœnam subeat, & supra universum navis onus, ni ipsum inopia valde premat, reliquorum bonorum trientem etiam fisco dependat. Si vero soli nautæ (ut multa illis [2] malitiosum suum animum celantibus contingunt) id facinus ausi sint, ille quidem prorsus liber esto, hi vero pœnam non effugiunto: ac primum quidem flagris cæduntor, cuteque tenus tondentor: deinde vero, si divites sint, eorum quæ exportarunt, quadruplo multantor: si inopes & pauperes, supra verbera ignominiosamque tonsionem, quod alios in servitutem tradiderint, libertatem amittunto. Nam qui, quantum in se est, non modo quamplurimos in servitutem ducunt, sed etiam communi vitæ acerbitatem adferunt, tametsi ad servilis vitæ conditionem adigantur, mediocris tamen hæc atque mitis pœna est. Atque hæc quidem, quando communi consensu patratum non est facinus. Si vero communi consilio & malitia res gesta fuerit, ut simul eam perpetrarunt, ita etiam utrisque ad præstitutum a nobis modum castigandis, simul pœnas sustinebunt.

CONSTIT. LXIV.

* DE POENA EORUM, QUI NAUFRAGIUM SUPPRESSERINT [3].

Idem Imperator eidem Styliano.

ILlud etiam atque etiam admiror, quomodo qui naufragio ejectas res occultat, tantum delinquere videatur, ut id mortem ipsi inferre debeat [4]. Quod autem qui illos rebus suis defraudat, quibus aliquis misericordia motus, vel de suo fumptus suppeditet, quemque in corde dolorem circumferunt, leniat (cum præsertim graves cruciatus in bonorum amissione sustineri consentaneum sit) ille non mediocre flagitium audeat, id vero luce clarius est. Atqui quod hos, quos vecors cupiditas huc impulit, vita privari oporteat, hoc profecto intellectu assequi nequeo. Nam quid tantum ablatum est, ut cum anima conferri possit, qua privari debere ille condemnatur? Pessimus quidem certe est & sacrilegus, qui se istiusmodi lucro mancipat: ac sane ille (id quod ab aliquibus fit) mortuos spoliat. Verumtamen id facinus istiusmodi non meretur pœnam. Pro [5] re enim materiali & fluxa, materiæ expertem atque immortalem, animam nempe, capere haud est æquum. Nam si perfæpe neque in rebus materialibus mulcta illatum damnum longe superat, quo videlicet velut circuitum aliquem iniquitas excessu non conficiat: quamobrem tam inæqualis pœna illos, qui naufragorum res occultant, percellat, ut excessus, quem ultio ad facinus refert, exprimi verbis nequeat? Jubemus igitur, *ut de hoc* non amplius ita vindicetur, sed pro re detenta, qui occuluit, quadruplum [6] dependat, eaque pœna id delictum defungatur.

CONSTIT. LXV.

* DE INCANTATORUM POENA [7].

Idem Imperator eidem Styliano.

QUi propter [8] temulentorum incompositum malignumque animum reprobandum esse vinum, ejusque oblectamentum adversandum dicit: næ ille propter perversum usum, rem per se non perversam fuggillat. Ego vero promulgatam a veteribus legislatoribus legem [9] considerans, eam quæ modo incantamentum malum esse rata, id punit, modo vero admittit & approbat, *quatenus* id ex utentium proposito malum non fiat, sed sua natura vitiolitate, tanquam sterquilinia graveolentia scaturiat: non *tamen* illos legislatores reprehendendos dixerim, sed ne quis legem (quod merito fiat) vituperet, eam ex legum quasi fundo tollendam puto. Vult autem puniri incantationes, eo quod modestia animi fublata, stimulis furoreque [10] amatorio rationem ad insaniam adigant: ac approbat [11] rursum illas, tanquam segetes [12], & fructus curent, aliaque bona (ut quidem videtur) suppeditent. Atque ita quod tanquam insidiosum puniisset, idem rursum tanquam beneficium honorat. Atqui nos istiusmodi incantationes perniciosas esse persuasum habemus: & ut boni quicquam inde manare credamus, induci non possumus. Ac sane etiam si boni quippiam producere illas appareat (quomodo *quidem* approbanti ipsas legi videtur) non *id* bonum esse, sed illecebram atque naffam, quæ illectos in malorum omnium extremum, ubi a summo bono excidant, absorbeat, compertum habemus. Notum enim nobis est illas, ut qui de ipsis deducunt, præ creatore & Domino insuastis dirisque dæmoniis adhærentes, efficere: & qui illas affectantur, hos per externarum rerum lætam quandam speciem vulnera in animam excipere. Quale quiddam inter pugnandum meticulosis frequenter accidit: qui dum ictus in manus excipere nolunt, illis vel caput vel ventrem exponunt. Sane vero *si quis aliquo* modo incantamentis usus esse deprehensus fuerit, sive id restituendæ conservandæve valetudinis, sive avertendæ a rebus frugiferis calamitatis causa fecerit, is apostatarum pœnam subiens, supremum supplicium sustineto [13].

CONSTIT. LXVI.

DE PLAGIO [14].

Idem Imperator eidem Styliano.

UT justitiæ libram non plus æquo ad misericordiam inclinare, ita neque nimia austeritate delinquentibus graviorem quam peccatum requirat, pœnam imponi, honestum est. Illud enim (intempestiva commiseratio nempe) in illis quibus decorum excedere religio non est, contemptum, & ad audenda mala ferventiorem promptitudinem gignat: & graviore quam pro merito delictum pœna ferire, id vero non justitiæ ultio, sed sub specie justitiæ rem injustam aggredi est. Nam non pro delicti modo delinquentem punire, injuria afficere, nequaquam vero justitiam exercere est. At quem in finem hoc dictum est? Quod lex [15] quo nescio modo (est enim hoc constitutum) eum qui alienum servum abduxit, morte puniat. In quo illa pœnam ad delictum haud dubie non expendit. Quum enim quod recuperari nequeat, amissum nihil sit, mortis pœnam illi qui cœpit inferri, irrecuperabilique ita damno subjici, non est æquum. Idcirco itaque ab iis qui digna morte non commiserunt, tam acerbas pœnas exigi, ubi iniquum esse animadvertimus, quam legem confuetudo contemplit (ut quæ vita plagiarium non privet, sed alio modo puniat) eandem nos etiam legalibus constitutionibus ejicientes, quod consuetudini placuit, lege confirmamus: ac jubemus, *si quis* alienum servum abduxisse deprehensus sit, is eundem, ejusdemque pretium, tum etiam quicquid ex industria ejus ipsi accessit, reddere, & quantum dominus non amisso servo ejus nomine percipere potuerit, tantundem [16] dependere, cogatur: atque ultra hæc delinquentibus pœna non aggravetur. Si quidem ita illi, qui servum amisit, sufficienter damnum resarcitur, furique satis magna pœna irrogatur: quippe quum ille servum cum accessione recipiat: & quam utilitatem ex servo non surrepto sensisset, illa non imminuatur, hic vero in duplum servum surreptum reddere debeat, nihilque ex ipsius servitute lucretur.

CONSTIT. LXVII.

DE IIS QUI AD HOSTES TRANSEUNT, SUAQUE SPONTE REVERTUNTUR [17].

Idem Imperator eidem Styliano.

SImul nimia austeritas & severitas, simul immoderata lenitas & clementia ex æquo utræque quod utile est intervertunt. Etenim & qui supra modum prætractus est, & qui lenitatem gravitate miscere nequit, uterque sive alicui uni, sive familiæ, sive civitati præsit, quibus præfectus est, cum illorum detrimento res administret. Oportet enim, ut qui recte præfuturus est, quemadmodum temperata salubriaque loca æquabiliter mixtas habent aëris qualitates: ita & ipse affectionum commistione ad rerum administrandarum utilitatem attemperata, se moderatum præbeat, & neque morositate gravis atque intolerabilis sit, neque indecora lenitate despicabilis, & ad gubernandum ineptus fiat. Quod autem de aëre dicimus, hoc certe & in legibus servari omnino convenit. Nam oportet leges, quum revera reipublicæ principes sint, quam dixi contemperaturam conservare, neque ad severitatem lenitatemve supra modum respicere: siquidem, qui ipsarum rectionem agnoscunt, incolumes futuri erunt. Atque hæc quidem respectu præfractæ illius legis, quæ adversus eos qui ad hostes transfugerent, lata est, a nobis dicuntur. Vult autem illa [18], uti transfuga, si quando pœnitudine ductus, redeundo ad suos commissum delictum obliterare velit, bestiis devorandus objiciatur, aut in furcam tollatur. Quod sane mihi reipublicæ magnopere nocumento esse, magnamque rationum ad salutem iter monstrantium contrarietatem gignere videtur. Necessitatem enim transfugis inducit, ne unquam recordentur suorum, neque revetendi in patriam concipiant desiderium. Nullus *est enim omnium*, qui quum ejusmodi pœna excipiendum sciat, inter hostes vivere, quam tam acerbam in patria mortem subire non malit. Quapropter rigidam hanc severitatem, ut ne iniquitatem dicam (nam eum qui deliquit, deindeque fuapte sponte ad medendum delicto resipiscit, tam acerbe puniri quomodo non est iniquum?) ex justissimis legibus profligamus, ac jubemus, *ut* [19] *si quis* transfuga in patriam recurrat, quum semel dumtaxat transfugerit, veniam consequatur: si iterum [20] id fecerit, in triennalem servitutem divendatur: si vero tertio transfugerit, reversus in perpetuam ac æternam servitutem addicatur. Tam incerti enim consilii homo, tamque inconstans, qui libertate fruatur indignus est. Cæterum si transfuga non ultro redierit, sed ab aliis comprehensus in patriam retractus sit, morte tum illum, tanquam hostem puniri, neque injustum, neque crudele fuerit: præsertim vero, si ante civili sanguine manus contaminaverit.

CONSTIT. LXVIII.

UT MONACHI ET CLERICI TUTORES [21] ESSE POSSINT: SED AB ADMINISTRATIONE AC PUPILLORUM RECTIONE ARCEANTUR.

Idem Imperator eidem Styliano.

VEteribus quidem legislatoribus [22] (quum ut simile veri est, uniformis & simplex tunc temporis tutela esset, iique soli qui pupillorum tuitionem susciperent, tutorum nomine censerentur)

1 Valente, Gratiano, & Martiano. 2 Nautis maliciæ sæpe ineste solet.
3 Pœna naufragium supprimentis, quadruplî hic constituitur, & ita abrogatur pœna mortis, qua olim affectus fuit, vid. *l. 3. in fin. ff. de incendio l. 3. §. 4. ff. ad l. Corn. de sicariis.* 4 Ex *d. l. 3. de incendio, l. 3. §. 4. ff. ad l. Corn. de sicariis.* 5 Obtenta hanc sententiam. 6 Pœna naufragium supprimentis.
7 Incantatores, quorum opera olim grandines averterentur, minime puniebantur. vid. *l. 4. C. de maiefic.* Hac Novella jubentur fupplicium pati. Adde Photium 9. *Nomoc.* 25. 8 Ulis rei propter abufum hominum non tollendus. 9 *d. l. 4. C. de maiefic. Et mathematicis.* 10 Vid. *l. 15. ff. de iniuriis.* 11 *d. l. 4.* 12 Vide omnino quæ scripsi ad *d. l. 4.* 13 Pœna incantatorum fupremum fupplicium. adde *Deut.* 18. *Levi.* 20. 1 *Reg.* 28. Platonem 11. *de legitim.* Cassiodor. 9. *variarum* 18. Dionem 52. Herodian. 4. Arrianum *in Indicis* 2. 24. *Capitularis Caroli Magni*: Xiphilinum *in Iulian.* Tacitum 2. *Annal.* Sueton. *in Tiberio* 32. 2 Columell. *de re ruffic.* 8. Suidam *in verbo ἐπάιδω.* vide Petr. Gregor. 34. *fintag.* 14. 15.
14 Περὶ ἀνδραποδισμοῦ. Plagii pœna fit hic pecuniaria, olim fuit capitalis. vid. *l. 7. C. ad l. Fab. de plag.* 15 *d. l. 7.* 16 De pœna plagiarii adde Petr. Gregorium 36. *fintag. uli.* 17 Transfugæ bestiis non objiciendi, ut olim ex lege 3. 6. 10. *ff. de re milit.* quæ lex abrogatur hac constitutione. adde 6. Harm. §. *in fin.* 18 *d. §.* 10. 19 De pœnitentia ex æquo utraque quod utile est intervertunt. Etenim & *l. 1. C. de feriis fugit.* vid. *l. 3. in fin. ff. ad l. Corn. de sicariis.* 20 Iterata delicta gravius puniuntur. *l. 2. §. 9. ff. de re militari.*
21 Περὶ τῶν ἐκτεθραμμένων, &c. *Scrimg.* Monachi & clerici executores testamentorum esse possunt: Tutores dari vel curatores non possunt. & ita restringitur *Novell.* 123. *c. 6.* quæ de tutela simpliciter sumpta loqui videbatur. 22 Justinianî in *Nov.* 123. *c. 6.*

edicere

edicere visum est, ne monachi aut quoscunque facer ordo devinctos habet, tutorum officio fungantur. Et certe quidem id recte edixere. Intellexerunt enim, qui divino ministerio consecrati sunt, hos ab externarum rerum occupationibus & molestiis liberos esse oportere. Quantum autem alendorum alioquique regendorum puerorum cura hominum animos distrahat, utque Deum debite colere non possint, impediat, nemo ignorat. Cum itaque non exigua difficultas isti rei insit, ac præcipue propter temporis diuturnitatem (tota enim plerunque vita tutores laboriosis itis curis irretiti tenentur) recte (quomodo dixi) istud illi decretum promulgarunt. Verum quoniam posteriores illi dumtaxat qui tutelam administrarent, tutorum appellationem non servarunt: sed hos etiam quibus [1] testatores, bona illorum existimatione moti, testamentarias de rebus suis præscriptiones [2] committunt, ac post mortem earum executionem concredunt, tutores vocare cœperunt: ac vero inde dubitatio exstitit, an monachi, quique sacrum ordinem subierunt, quod dictum decretum id non admittere videatur, hanc demandatam curam suscipere possint: nos discrimine adhibito sancimus, ut ab illa tutela ad quam vetera tempora respicientia, promulgandi decreti, quod dictis personis ad illam aditum præcluderet, occasionem præbuere, penitus illi arceantur, natam autem posthodum tutelæ speciem subire ipsis licitum sit. Hujus namque muneris non ita graves curæ sunt, ut a divino ministerio aliquem abstrahant, sibique totum astringant. Tum alioqui quanto hi illis qui profanis rebus impure inhærent, ac in terrenis sordibus volutantur, cautius divinisque vivunt: tanto melius cautiusque defunctorum præscripta expedienda esse spes est.

CONSTIT. LXIX.

* CÆCOS [3] SECRETO [4] TESTAMENTUM FACERE POSSE [5].

Idem Imperator eidem Styliano.

QUandoquidem de eo, quomodo cæcos testari oporteat, dubitatur, eaque dubitatio ex locis legalibus (quod ea de re leges inter se diversa statuant) & ex ea quæ nunc obtinet consuetudine existit: neque hoc altius expendere atque repurgare inconveniens aut alienum putavi. Etenim alia lex [6] prohibet, ne cæcus arcano [7] modo testamentum condat, & ne aliter id vim habeat, statuit, quam si testes quæ constituta sunt, a cæci ore processisse, suisque auribus insonuisse afferant: atque per solum tabularium illorum fidem communiri non vult. Alia [8] autem latam quandam ad arcanum [9] testandi modum mulieribus, & illiteratis hominibus viam aperit, dum nullam aliam observationem præscribit, quam, ut si testator literarum non omnino ignarus sit, sua subscriptione testamentum corroborare debeat: si vero id præstare non possit, pro se alium ad subscribendum assumat. Atque sic quidem ex legibus *illa inter* se res dissideant. Quomodo enim si mulieres rudesque literarum quam paucissimis voluntatis suæ conscios testamenta condent, quum fides in solo tabulario fluctuet, non ex eadem causa cæcus liberam testamenti factionem habeat? Jam vero & consuetudo, non solum autem alterius legis ratio, cum lege pugnat. Etenim placet huic, ne mulierum, & imperitorum literarum, cæcorumve testamenta arcane facta vigore priventur. Quod cum ita sit, nos quoque, ut secreto [10] confecta testamenta, sive cæcorum, sive aliorum [11] quorumvis sint, autoritatem obtineant, sancimus: illudque insuper statuendo addimus, ut antequam testes jurent, subscriptiones eorum qui testamenta conscripserunt, in medium proponantur, *quæ sonent*, quod revera illa scripserint quæ ipsa testatoris lingua dictante audiverunt. Et si quidem falsum commissum esse postmodum probetur, ipsos, si divites sint, bonorum ademptio: sin pauperes, vehementia verbera & exilium in delicti pœnam maneant. Quibus hoc insuper annectimus, ne si quando ad sui confirmationem (quod frequenter incidit) juramentis testamento opus sit: ipsi etiam qui testamentum conscripserunt, una cum juraturis testibus rei fidem & veritatem corroborent.

CONSTIT. LXX.

DE GRASSATIONIBUS [12].

Idem Imperator eidem Styliano.

1 Vetustas executores testamentarios nonnunquam ἐπιτρόπους appellavit. dixi ad *l. 107. ff. de legat. 1. l. 21. §. 4. ff. de annuis legatis.* adde *Nov.* 131. *c.* 12. 2 Præstationem *d. l.* 107. ministerium *l. 7. ff. de legat. 2.* dationem *l. 9. ff. de alimentis.* distributionem *l. 78. §. 2. ff. de leg. 1. l. 7. ff. si cui plus quam per leg.* eis præstatur: cuius legatorum, *d. §. 2.* & petitio competit *d. §. 2. d. l. 107. d. §. 9. l. 28. §. 1. C. de epise.*
3 Cæci scripto testari possunt, *ut hic.* adde Paul. 3. *sent.* 4. §. 4. ut & adoptare & adoptari, *l. 9. ff. de adoptionibus.* tutelam gerere, *l. 16. ff. de autoritat. tut.* multo magis bona sua administrare: ideo curator cæco dari non solet: quia & ipse sibi procuratorem potest instituere, Paul. 4. *sentent.* 2. 9. *ult.* Potest etiam cæcus officio fungi, *l. 6. ff. de iudiciis:* & quidem senatorio *l. 1. §. 1. in fin. ff. de postulando*, id est, retinere officium (Persæ ne infans quidem ad regnum admittebant, *Procop.*) & tellis esse in jus aute cæcitatem vidit: quæ cæcitatem autem de his quæ a sibi notis hominibus audiit. Accurf. *Novell. 1. c. 2. §. 1. verf. si vero in verbo audisse*: Speculator *tit. de testibus.* feudum etiam retinet 2. *Feud.* 14. non potest tamen postulare, *l. 1. §. 1. ff. de postulando.* 4 Id est, scripto, non tantum per nuncupationem, quod exigebat lex 8. *C. qui test. facmenta.* Olim dubitatum fuit, Num cæcus testamentum possit facere: sed in eam sententiam tandem itum fuit, posse: quia scire potest adhibitos testes, & audire ibi testimonium perhibentes, Paul. 3. *sent.* 4. §. 4. Porro quod secretum testamentum hic dicitur, Græci μυστικὴν διαθήκην appellant. Harmen. 1. *c. περὶ μυστικῶν διαθηκῶν*, de quo plenius alias apud eundem Harmenopulum in Græcarum juris dictionum Nomenclatore, ut & locis aliis eximius. 5 Exstat epitome hujus constitutionis 6. Harmenop. 1. §. 31. & 34. *l. 8. C. qui testamenta.* 6 *l. 8. C. qui testamenta.* 7 Κατὰ τὸ μυστικὸν τρόπον. *Scrimg.* id est, scripto, sed per solum nuncupationem. Nam μυστικὸν διάθεμα Harmenop. 5. *tit.* 1. vocat testamentum scriptum: & merito: testamentum enim non scriptum, testibus evulgatur necesse: quod & jure constituitur, ne fides alioquin testimenti pereat. 8 *Nov.* 119. *c.* 9. 9 Εἰς τὸ πρὸς τὰς μυστικὰς διαταξεις παδευθῆναι. *Scrimg.* 10 Διατάξεις ἐν μυστηρίῳ πεμφθεῖσαι. *Scrimg.* 11 Pura, mulierum, & imperitorum scribendi 6. Harmenop. 1. §. 34.
12 Περὶ ἐφόδων. *Scrimg.* Hæc Novella confirmatur jus vetus pœnæ constituto adversus grassatores. 13 Communio animorum, ex communione conditionis præsumitur. 14 *l. 29. ff. pro socio.* §. 1. *Inst. de societate.* 15 Adde *l. 5. ff. pro derelicto l. 43. §. 7. §. 9. ff. de furtis l. §. 47. Inst. de rerum divisi.* 16 Ferre ex patro, Potest & hoc referri vel ad rem pro derelicto habitam *d. l. 5.* vel ad res eas quas dominus ignoravit. *arg. d. §. 7. §. 9. Nov. 64. §. eodi.* 17 Συσταῖται commilitones qui simul militant.
18 De complicibus præsis *Lutb. §. 2. C. de raptu.* 19 De complicibus patricidii *l. 2. l. 6. 7. ff. ad l. Pompejam de parricidiis.* 20 Ἔφοδος Græci. Galli *guettuer de chemins*, facit *l. 28. §. 10. ff. de panis: Novell. 134. c. 13. verf. Eos vero, ibi. aut itinerabus.*
21 Nihil igitur hac lege innovatur. 22 Conscii, complices, ministri *l. 2. §. 12. ff.*

QUos communio [13] in unam aliquam eandemque conditionem conjungit, inter hos communes etiam animos esse ubique videas. Ita in negotiationibus socii [14] lucrum damnumque æqualiter inter se partiuntur; ita itinerum comites, quum fortuitu in rem aliquam incidunt [15], tametsi sæpe uno illam momento pariter non conspiciant, ejus tamen inter se jus communicant [16]. Ita vero & commilitones [17], licet omnes non pari studio & impetu in hostem ferantur, attamen victoriæ palmam ex æquo auferunt. Quapropter etiam, ut qui malitioso consensu coitione facta, rem aliquam in quam a lege pœna constituta est, inceptant (utpote si [18] raptus committatur, vel parricidium [19], alteriusve cujuspiam cædes perpetretur) quanquam non omnes tantundem momenti & operis re peragenda conferant, eandem tamen pœnam sustineant: sane quam recte veteri legislatori placuit. *Et nos quoque* idcirco, quæ de his qui simul & communiter latrocinandi [20] animo homines invadunt, jam olim sancita sunt, approbantes [21], statuimus, uti omnes, quotcunque fuerint [22], eodem [23] supplicio afficiantur: tametsi parem operam rei perpetrandæ non omnes adhibuerint. Non enim si quis ipse manus inferendæ neci non admoverit, continuo insons & a pœna immunis esse poterit. Quid enim si præsis ipse manibus, alterius tamen dextram ad cædem intenderit atque confirmarit? Sane quod manus homicida, a communi perversitate instigata, rem aggressa sit, constat. Nam nisi aliorum manus huic in subsidium præsto fuissent, non certe ita prompte homicidium perpetrasset. Ac propterea (quemadmodum dictum est) quamquam uno cujuspiam ictu (quod fieri potest) mors illata fuerit, aliorumque manus suppetias non tulerint: ut eandem tamen omnes pœnam sustineant, decernimus.

CONSTIT. LXXI [24].

DE IIS QUI IN LOCIS ARABILIBUS [25] AUT VINEIS [26] ÆDIFICATURI SUNT [27].

Idem Imperator eidem Styliano.

PRæstantissimum illud æquissimumque patris nostri sempiternæ gloriæ Principis placitum, quanto [28] *videlicet* a vicini finibus spatio abstinere debeant, qui in locis, quos hactenus aratrum secarit, inve quibus vineæ consteterint, noviter domus *assignandas* [29] *muneribus publicis* ædificare velint: quoniam ab ipso in legum corpus [30] transcriptum [31] non est, legis [32] autoritate decorari oportere judicavimus. Statuimus itaque, ut qui in locis ad fementem excultis novas ædes condituere volunt, si loci amplitudo ferat, secundum illius [33] placitum a vicini finibus tanto spatio ædificent [34], in quantum arcus iterata [35] vice telum ejaculetur: sin tantum spatium interstitio loci angustia non præbeat, uno etiam arcus jactu hoc constituatur. Intra dictum autem spatium novam [36] domum extruendi nemini facultas sit. Cujus ratio evidentior est, quam ut exprimi opus sit. Quo enim ædificium propius vicini fruges ponitur, eo illi etiam noxa propinquior est.

CONSTIT. LXXII [37].

UT PACTA ETIAM NON CONSTITUTA POENA [38] VALEANT [39].

Idem Imperator eidem Styliano.

LEgali [40] decreto, quod nudum pactum non actionem, sed solum exceptionem parere tradit, nonnullos illudere videmus. Dum enim omne pactum quod pœna stabilitum non est, nudum esse volunt: etiamsi [41] scripto comprehensum sit pactum, etiamsi [42] qui pactum inierunt, sua manu sacrosanctæ [43] crucis [44] nota [45] scripturn signarint, etiamsi divini [46] terminis appellationes adjectæ sint: si tamen pœna constituta non sit, id ut invalidum, contemnunt ac rejiciunt. Qui sane male sentiunt, minimeque judicium fuum comprobant, ut qui rebus divinis communes res mortalium longe præferendas censeant. Quam enim tantam, recto quidem hominum judicio, adjectio pœnæ, pactis autoritatem, quantam sacrosanctum signum, divinitatisque nomenclatura in illis conspecta præbeat? Sancimus igitur, *ut omne* pactum, in quo ex divinis hisce adjumentis [47] idoneum aliquid ad faciendam fidem in-

vi bonor. 23 Pœna ministerium prabentis graffationi faciendæ *d. §. 12.*
24 Apud Harmenopulum nominatur 36. vid. 2. Harmen. 4. §. 151. *l. ult. ff. finium regund.* 25 Ἀγαθίσεις. 26 Ἀμπελῶνες. 27 Et de spatio quo domum adificatam in agris abesse oportet ab arvo vicini. Spatium autem definitur, quantum unus vel duo teli jactus faciat: olim duorum pedum spatium videtur fuisse, *l. ult. ff. finium regundor.* quæ hoc modo videtur abrogari. 28 *l. ult. ff. finium regundor.*
29 Εἰς ἀποκληρωσιν. Vetus liber habet, ὡς ἀπόκλησιν, quod est, ὡς ἀπόμοιρα, ut partem aliquam ab arvo aut vinea separabat. Nam & ἀποκληροῦν dixit duobus locis *Novell.* 5. per partem alicui addere & suppontere. vide Cujac. 17. *obs.* 31.
30 Εἰς τὸν τῶν νόμων πολιτείαν. *Scrimg.* Basilii, de quo dixi initio harum Novellarum. 31 Ἐγκριθῆναι πολιτείαν. *Scr.* ἐγκριθῆ συμπολιτεῦσι. Cujac. 17. *observ.* 31. *ad Nov.* 78. τὸν ἐν τοῖς νόμοις συμπολιτεύεσθαι. 32 Νόμοι τεμῆ. *Scr.* νόμοι τεμῆς. Cujac. 17. *obs.* 31. 33 Κατὰ τὸν ἰσθμὸν. *Scrimg. κατὰ τὴν ἰσθμὸν*, Cujac. *d. loco.* 34 Ποιεῖσθαι τὸ διάστημα. *Scrimg. μετρεῖσθαι τὸ διάστημα*, ut apud *Harm.* Cujac. *d. loco.* 35 Δυσὶ τόξοις βολαῖς, *a deux traicts ou jects d'arc.*
36 Τῆς τοιαύτης τῶν οἰκητῶν νομογίας. *Scrimg.*
37 Hæc Novella tricesima octava nominatur apud Harm. 1. *tit.* 9. §. 12. 38 Αὐτὸ σφετέρως. 39 Nudum pactum non parit actionem *l. 7. §. 4. ff. de pactis.* Nudum non sentitur interposita divini nominis denominatione aut crucis signo. *ut hic.* 40 Hic locus valde fulpechus. Nudum enim pactum non est quod litteris est munitum. *Inst. de iis per quos obligamur.* 41 *d. §. 4.* 42 Ratio abrogandæ legis hinc sumitur. 43 Τὸν Θεῖον σταυρὸν. *Scrimg.* 44 Crucis Christi signum adeo sanctum veterum fecuto fuit, ut in instrumentis pro fide & subscriptione cederet, *l. ult. §. 2. C. de iure deliber. Nov.* 73. *c. 8. Nov.* 90. & fixione ejus, profima loca expiari, Deoque consecrari crederentur *Nov. 5. c. 4. & 67. c. 1. Nov.* 131. *c. 7. l. ult. C. Theod. de pag. iacr.* Crux quoque præscribitur litanis publicis, *Nov.* 123. *c.* 35. Ex contrario vetitum, ne in locum publicum, vel privatum voluptatibus destinatum crux inferretur, *l. 26. C. de epise.* aut ad contumeliam passionis Christi deferretur, *l. 1. C. de Iudæis.* aut humi in silice vel marmore pingeretur, vel sculpertetur *C. Nemini licere signum salvatoris Christi.* 45 Ἐντάξει. *Scrimgr.* Signum etiam veteres appellarunt, *Cod. nemini licere signum salvatoris Christi.* Ratio a Chrysostomo affertur, ὅτι πάντες ὑπὸ τὸν τοῦ σταυροῦ τροπαῖον τάττονται καὶ ἐλπίδων τῶν ἐκεῖθεν ἀγαθῶν γίνονται κοινωνοί. hæc ille. Cæterum quoque veteres frontem eo signo præmunisse, vide *protevangelium Jacobi*, Tertullianum & Hieronymum *in vita Pauli.* 46 Θεοτελεῖς τριάδος. 47 Crucem intelligit & Trinitatis denominationem.